

A

¶ Proponit, hanc conclusionem ex dictis Orientalium doctorum dumtaxat probare dupliciter: videlicet per præpositionem, per, & per, ex, & primo de vi ipsius præpositionis, per, disputat: probans eam causam mediantem significare. Cap. V.

**P**ræpositionem igitur, per, in omnibus, in quibus accipitur, causam significare, nunquamq; dici, nisi aliquam mediantem subostendat causam, nemo est, qui ignoret. Semper enim & in omnibus, quibus hoc ab hoc per hoc esse, aut fieri dicitur, illud, per, quod tanquam communicans, aut cooperans primo agenti, accipitur. Quemadmodum si fabrum per ferram fabricari dicamus, ferram quoq; cooperari fabro ad secundum, intelligimus: & modo ei conuenienter, hoc est, instrumentaliter ipsam etiam secare, nec superuacaneam eam accipi. Per locum etiam, aut per tempus aliquid fuisse, vel transiisse dicere, nil aliud dicitur esse, nisi locum etiam, & tempus aliquam causam illoq; quæ transuerint, vel facta fuerint esse. Et locus enim motus causa est, siquidem omnis motus in magnitudine & distantia est, tempus quoq; maxime cōfert motui. Omnis enim motus in tempore: abq; vero motu nil omnino corporalium & sensibilibus fieret. Sine quo autem non fieret aliquis: hoc sui causam habet. In syllogismis quoq; dicere medium extrema coniungi: patet, quod per medium tanquam per causam secundum motum, aut discursum intellectus accidit. Cuius ratio est: ut vniuersaliter de hac præpositione tractemus. In omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio, per, designat in causali aliquam causam seu principium illius actionis: sed cum actio sit media inter faciens & factum, quandoq; illud causale, cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod exit ab agente: & tunc est causa agentis, quod agat, siue sit causa finalis, siue formalis, siue effectiua, siue motiua. In materiali namque causa non est in usu accipi: sed pro ea, ex. Non enim per ligna & lapides: sed ex his & his domum esse compositam dicimus. Cum igitur propter lucri cupiditatem dicimus artificem operari: finalem significamus causam, formalem vero, cum dicimus, quod operatur per artem suam: motiuam vero, si dicatur, quod operatur per imperium alterius. Quandoq; vero dicitur, causalis, cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod terminatur ad factum, ut cum dicimus, artifex operatur per martellum. Non enim significatur, quod martellus sit causa artificis, quod agat, sed quod sit causa artificiato, ut ab artifice procedat, & quod hoc ipsum habeat ab artifice. Quæ cum ita se habeant: considerandum, quid velit, sanctus ex patre per filium procedere dicere spiritum sanctum. Nempe hic etiam dicimus causam quandam significare præpositionem, per, at primarium quidem trium nullam. Nec enim filius patri causa est, ut ex eo spiritus sanctus procedat: quod vniuersaliter primæ tres cause possunt: sed e conuerso est. Nec enim filius causa formalis, aut finalis, aut effectiua est spiritus sancti: cum effectiua quidem causa ad creaturam referatur, nec conueniat spiritui.

B

Ipsa vero rota beata trinitas & bonitas eius, creaturæ finalis causa sit, non autem vna persona alterius. Formalis autem ipsa diuina essentia, secundum quam filius & spiritus sanctus procedunt: quæ tribus eadem est. Reliquum igitur est, ut reliquo & quarto modo in re propozita accipiamus: & illum quoad fieri potest. Hic enim, in quantum terminatur in effectum, enim sit actionis causa, conuenit huic quaestioni: cum dicimus ex patre per filium procedere spiritum sanctum, in quantum vero tanquam instrumentum intelligatur, valde distimile habet significatum. Non enim ut per instrumentum, vel per locum, vel per tempus, aut aliquam causam imperfectam dicimus spiritum sanctum per filium procedere: longe etenim hæc ab illa eius summa perfectione, & summa ad patrem æqualitate, & vnitatem absumunt. Nec enim alia potentia numero producit spiritum quod pater & filius, ut tanquam secunda vel instrumentalis causa accipiat: sed cum eadem & vna in patre & filio productiua potentia sit: æqualiter ex utroque procedere dicitur. Nam & terra, & homo est, quem admodum ipse faber, & idem homo, sicuti pater & filius idem deus est, secaret utique etiam illa, prout ipse faber: & quod diceretur per ferram, nullam imperfectionem de terra notaret. Nec mirum si in diuinis utamur imbecilibus & imperfectis verbis, & nominibus, cum aliter non possimus. Diuinas enim res per nomina & intentiones quidem consuectas nobis manifestare conamur. Alio enim impossibile est, nobis sensu viuentibus de illis loqui. Quod vero prolationi verborum accidit, etiam significatis rebus vel impuritate, cauendum, ne sit nefas, multæ enim hoc modo certæque fidei veritates euanescerent.

C

ggggg in Etenim